



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXXI. De Commodato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

etiam respondit, esse attendendam solam expensarum necessitatem, adeò, ut alicubi non liceat exigere nisi unum, aut duo procentum.

8. *Quer.* Quid faciendum de pecunia, quæ in fine anni superesset ex exactionibus prædictis? *Resp.* Danda est in eleemosynam pauperibus. Sac. Congregatio 1615. *ibidem* apud Nicolium.

9. *Quer.* An liceat alicui diviti mutare pecuniam Monti, ut ab ipso Monte aliquid utile recipiat? *Resp.* Negativè. Sac. Congregatio, *ubi supra* apud Nicol. *sub. d. num. 13.*

10. *Quer.* An statim post annum sint pignora vendenda? *Resp.* Esse expectandum per alium mensem, & facta venditione terminus octo dierum est concedendus domino pignoris ad illud redimendum. Sac. Congregatio *ubi supra*. Quod hic Patavii ad amulum servatur.

11. *Quer.* Ad quem spectet confirmatio Officialium Montis? *Resp.* Spectare ad Episcopum, vel ejus Vicarium generalem; nam & causæ, quæ contra dictos Officiales intentantur occasione Montis, spectant ad forum Ecclesiasticum privative, Sac. Congregatio 28. *Januar. 1640. apud. Nicol. d. lib. 3. tit. 15. num. 10. pag. 265.* Quod Paduæ non servatur, quamvis leges Montis in ejus Institutione recognoverint præcipuam Episcopi auctoritatem, in cujus exercitio, quo Jure nescitur, tunc deficit Episcopus.

12. *Quer.* Quæ, & quot sint peccata, quæ committi possunt à Ministris Montium Pietatis? *Resp.* Esse videndas meas Decisiones d. *Anni 1685. Mense Majo quæstio 3.* *ubi explicavi materiam Montium Pietatis abundanter.*

CAPUT LXXXI.

De Commodato.

1. *Quer.* Quid sit Commodatum? *Resp.* Est alicujus rei ad certum usum concessio, absque translatione domini, seu possessionis cum spe, ut eadem res in specie, non autem alia ejusdem generis, restituatur ad præfixum diem. Nicol. *d. lib. 3. tit. 15. num. 18. pag. 266.* Gonzalez in *Comment. ad cap. Unico. num. 1. de Commodato.*

2. *Quer.* Si in commodato non sit præfixa dies ad restituendum, quando sit facienda restitutio? *Resp.* Finita occasione, ob quam fuit res data in commodatum: quod si ex natura rei non posset cognosci finis occasionis, tunc petente domino restitutio erit facienda. Nicol. *ubi supra num. 18.*

3. *Quer.* Quanto tempore commodatarius possit detinere dolium commodatum, si de tempore non fuit facta mentio? *Resp.* Per annum. Nicol. *ubi supra num. 18.* nam per tantum tempus servatur vinum.

4. *Quer.* An commodatarius possit cogi ad restituendam rem commodatam ante tempus permissum? *Resp.* Negativè, quia

juvari nos convenit beneficiis, non autem decipi. *cap. 1. de Commod.*

5. *Quer.* An pro re commodata lucrum possit recipi? *Resp.* Affirmativè, sed non erit amplius commodatum, sed locatio, aut contractus innominatus, do, ut des. l. 1. *Si quis servum. ff. Depos. l. Naturali 5. ff. de Prescript. Verbis.*

6. *Quer.* In quibus differat mutuum à commodato? *Resp.* In quatuor. Primo, quia in mutuo transfertur dominium, & possessio rei. Secundò, præstatur casus fortuitus. Tertio, eadem res in specie non redditur. Quarto, res datæ usu consumuntur: At totum contrarium servatur in commodato.

7. *Quer.* An Commodatum stare possit in re, quæ usu consumitur? *Resp.* Negativè regulariter. An in uno casu stare potest, quando res illa accipitur ad pompam, non ut consumatur; ut si sponsus accipiat pecuniam ostendendam affinibus suis. *lib. 3. §. fin. ff. Commodati.*

8. *Quer.* Si res commodata pereat, de qua culpa commodatarius teneatur? *Resp.* Teneatur de dolo, lata, levi, & levissima culpa, non tamen de casu fortuito; nisi mora, culpa, vel pactum præcesserit. l. *In rebus. 18. ff. Commodat. cap. 1. eodem. Nicol. d. lib. 3. tit. 15. num. 21.* Gonzalez in *d. cap. Unico. num. 2. de Commodato.*

9. *Quer.* Si Commodatarius promissit, servare indemnem ipsum commodantem de re commodata, an teneatur ad casum fortuitum? *Resp.* Negativè, quia iste casus non venit sub verbis generalibus, sed est præcisè deducendus in pactum. Nicol. *ubi supra d. num. 21.*

10. *Quer.* Cujus debeat esse damnum rei pereuntis ex casu fortuito, quando contractus initus est in gratiam utriusque partis? *Resp.* Damnum esse dividendum pro medietate. *Dian. par. 3. tract. 6. resol. 10.* Quæ in *Coord. est tom. 6. tract. 3. resol. 121.*

11. *Quer.* Quæ regula sit in Jure ad cognoscendam culpæ obligationem in accipientem? *Resp.* Si contractus est in gratiam dantis tantum, accipiens tenetur solum de dolo, & lata culpa. Si in gratiam utriusque; de lata, & levi culpa tenetur. Si in gratiam accipientis tantum; de lata, levi, & de levissima. l. *In rebus, & l. Si ut certo, §. Nam videndum. ff. Commodati.* Casus autem fortuitus non obligat, nisi ex pacto, culpa, aut mora accipientis. *Navarr. cap. 17. num. 178.* Gonzalez *ubi supra num. 7.*

12. *Quer.* An incendium præsumatur ortum fortuito, vel ex culpa? *Resp.* Præsumi ortum ex culpa levissima inhabitantium; unde ipsi tenentur ad restitutionem rerum, quæ ex contractu in gratiam ipsorum tantum acceperunt, V. g. commodato. Nicol. *d. lib. 3. tit. 15. num. 23.* Quod si probent incendium ortum fortuito, vel absque eorum culpa levissima, ad nihil tenentur. *Barbos. de Off. & Potestate Episcopi alleg. 51. num. 75.*

13. *Quer.* An Commodatarius possit retinere rem commodatam pro aliquo alio credito suo contra commodantem? *Resp.* Nega-

Negative, nisi creditor factus sit ratione expensarum magnarum in re commodata factarum. l. In rebus, 18. S. Possunt, ff. Commodat.

14. *Quer.* An sit Commodatum præstare rem non ad certum usum, vel tempus, sed quousque Domino placuerit? *Resp.* Non esse commodatum, sed precarium, & potest quodcumque revocari; nisi esset cum damno accipientis. l. Cum precario, 12. ff. de Precario.

15. *Quer.* Ad quid teneatur accipiens ad Precarium? *Resp.* Teneri de dolo, & lata culpa tantum; & ratio est, quia dominus potest ad sui libitum rem revocare. l. Questum, §. illud, ff. de Precario. Bonacin. de Contract. disp. 3. qu. 1. punct. 6. num. 5. tom. 2. Gonzalez in d. cap. Unico, num. 8. de Commodato, ubi alias differentias notat inter Commodatum, & Precarium.

16. *Quer.* An qui commodat alteri pecuniam suam non ad utem, sed ad pompam, possit ex hoc accipere lucrum? *Resp.* Affirmative; quia non est mutuum, aut commodatum; sed locatio illius materialis pecuniae. Leotard. de Usur. qu. 34. a num. 8. & seqq. ubi DD.

17. *Quer.* An Commodatarius teneatur restituere lucrum, quod ex re commodata percepit? *Resp.* Affirmative, quia domino rei cedere debet: ideo, si eam locasset alicui, vel partus natus esset, ad dominum rei spectabit. l. 13. §. Si quem questum, ff. Commodati, Leotard. de Usur. d. qu. 34. num. 20.

18. *Quer.* An Commodatarius teneatur restituere lucrum habitum ex negotiatione pecuniae in commodatum ad pompam acceptæ? *Resp.* Non teneri, quia illud lucrum provenit ex sua industria, ut probat ipse Leotard. de Usuris d. quest. 34. num. 21. aliàs dictus Commodatarius esset deterioris conditionis, quam fur, qui ob rem furtivam non tenetur restituere lucrum habitum ex sua industria. Idem Leotard. tota qu. 96.

CAPUT LXXXII.

De Pignore.

1. *Quer.* Quid sit Pignus? *Resp.* Est res mobilis, vel etiam res immobilis à debitore creditori tradita pro securitate, donec ei de debito satisfiat. Nicol. dict. lib. 3. tit. 15. num. 38.

2. *Quer.* In quo differat Pignus ab Hypotheca? *Resp.* In hoc proprie differre, quod Pignus plerumque consistit in rebus mobilibus, & traditur creditori; Hypotheca verò stat in rebus immobilibus, & remanet penes debitorem. Bonacin. de Restit. disp. 1. quest. 8. punct. 2. num. 3. Et est Tex. in cap. Cum contra, 6. de Pignoribus, & ibi Gonzalez num. 6.

3. *Quer.* Quæ res prohibeantur pignori dari? *Resp.* 1. Res Ecclesiasticæ, pupillorum, & minorum, cap. 1. de Pignor. 2. Liber homo. cap. 2. de Pignor. 1. Qui filios. 6. C. Quæ res pign. Potest tamen dari obses causa belli evitandi. Bonacin. de Contract. disp. 3. quest.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

10. punct. 1. num. 4. 3. Res litigiosa. lib. 1. ff. Si res pignor. 4. Instrumenta ad agriculturam deputata. l. Pignorum 8. cum auth. seq. C. Quæ res pignor. 5. Servitutes urbanorum prædiorum, si aspectus Urbis, ex iis deformetur. l. Si iis, §. fin. ff. de Pignor. Et 6. Res aliena. Secus si sit communis, quia debitor rem pro parte sua obligare posset. lib. 1. §. 1. ff. de Pignorib. Nicol. ubi supra num. 39.

4. *Quer.* Ad cuius favorem cedat fructus rei Pignori datæ? *Resp.* Ad favorem debitoris; & non solum fructus percepti, sed etiam fructus percipiendi, & ex negligentia creditoris etiam non percepti. l. 1. C. de Distract. Pignor.

5. *Quer.* Si debitor maiorem partem debiti solvit, an possit repetere suum pignus? *Resp.* Si pignus consistit in re indivisibili, non potest. l. Quandiu, C. de Distract. Pignor. Secus si pignus consistat in pluribus rebus divisibilibus. Rota apud Cencium decis. 69. num. 7.

6. *Quer.* Ad quam culpam teneatur creditor circa Pignus? *Resp.* Teneri ad levem culpam, nisi ex pacto se obligasset ad levissimam, & ad casum fortuitum. Nicol. ubi supra num. 44. dict. lib. 3. tit. 15.

7. *Quer.* Quando creditor possit vendere Pignus? *Resp.* Quatuor sunt casus distinguendi. 1. Quando fecit pactum cum debitore, ut si intra tantum tempus non solverit, possit vendere; & in hoc casu, transacto tempore, vendere potest absque alia licentia, quia dies interpellat pro homine. l. Magnam, 12. C. de Contrah. stipul. 2. Si de venditione non fuit conventum, debet à Judice sibi assignare facere tempus ad vendendum. l. fin. §. Sin autem nulla pactio C. de Jure dom. impetr. 3. Si pactum fuit de non vendendo, nihilominus, debitore non solvente, poterit sibi assignare facere terminum, in quo possit vendere, à Judice, d. l. fin. 4. Quando creditor non reperit emptorem, & tunc petet à Judice, ut pignus sibi iudicet insolutum. Sed quod supra creditum suum est, solvet debitori, dict. l. fin. §. Sed & si quidem minus.

8. *Quer.* An valeat pactum Legis Commissoriae in Pignore; videlicet, quod nisi debitor solvat intra certum tempus, pignus statim fiat ipsius creditoris irrevocabiliter? *Resp.* Regulariter non habere locum in Pignore tale pactum. At si absque fraude tale pactum apponeretur in poenam, & Pignoris pretium non excederet multam summam debiti, valeret; aliàs secus, quia excessus valoris pignoris esset debitori restituendus. l. Si fundus, §. fin. ff. de Pignor. Navar. cap. 17. num. 217. Bonacin. de Contract. disp. 3. qu. 3. punct. 8. num. 2. Nicol. lib. 2. tit. 8. num. 27.

9. *Quer.* An creditor possit aliquando sibi retinere fructus pignoris? *Resp.* Affirmative, quando scilicet ex dilata solutione damnum patitur, & de hoc fecit pactum cum debitore. Salas de Usuris dub. 28. num. 2.

Leotard. d. Usur. qu. 98. num. 45.

Q

CAPUT